UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita S. Libori[i], Cenomanensis Qvondam Episcopi: Nunc Paderbornensivm Tvtelaris Divi

[S.l.], [ca. 1650]

Capvt XVII. Carnotensis Antistes SS. Reliquias magnificè excipit. Puella in globum velut contorta curatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45568

Visual Library

XIII. Miraculum. ſubitò dæmoniacum, qui eos aliquandiu ſequebatur conſpiciunt in via media cecidiſſe. Ad quem erigendum cum aliqui ex plebe cucurriſſent, iacuit omninò ſine motu aliquo, vt ab omnibus eſſe mortuus non dubitaretur. Poſt paululum tamen erectus ad ſedendum cœpit ſenſim quaſi reuiuiſcere, & ſequenti die coram populo laudes ſaluatori ſuo rependens, ſanus apparuit, ac ſi nunquam à maligno fuiſſet hoſte vexatus.

CAPVT XVII.

Carnotenſis Antiſtes SS. Reliquias magnificè excipit. Puella in globum velut contorta curatur.

PROINDE cùm tantis diuinorum beneficiorum donis, velut cœleſtibus radijs micantẽ viam læti carperent, quæ plus quotidie gaudij, quàm fatigationis afferret

ferret: contigit, vt ad ciuitatē Carnotenſem, ſatis amplam & populoſam, deuenirent; Cuius vrbis Epiſcopus, Bernuinus nomine, iam tū ætate ſimul & moribus valdè maturus, collectis ex more Preſbyteris, eo tempore Synodum in vrbe celebrabat. Cui cùm nunciatum eſſet, qualiter & quo ordine aſſumptum Cenomanis corpus præfati Confeſſoris, ſuę iam vrbi appropinquaret, ſtatim cum omni illo ſacro ſacerdotum collegio, totoq́ue Clero ſuo & populo proceſſit in eius occurſum, atque cum hymnis & canticis ſpiritualibus illud deuotiſſimè extra vrbem longè progreſſus excepit, iuſſitq́ue vt deferretur per viam, quæ ducit foras muros ciuitatis ad Oratorium, in quo ſancti Carauni membra requieſcunt. Cūq́ue cateruatim ſequente grandi multitudine ad memoratum locū honorificè duceretur, ſonantibus ſignis per totam vrbem, & populo excel-

Carnutū.

Bernuinus huius vrbis Epiſcopus cum Clero populoque vniuerſo SS. Reliquijs obuiā procedit.

S. Carauni Sacellum.

Et hic no-

ea priſcam deuotione. excelſa ad Deum voce proclamante, vt tantam ſibi gratam deuotionem Dominus declararet, multa ibidem per beatum Liborium fieri ſigna conceſſit. Ex quibus vnum pręcipuum hoc loco memorare decreuimus, reliqua vitandæ prolixitatis cauſa, intermittentes.

XIV. Miraculum.

Puella, quæ ab exordio miſerandæ natiuitatis, membris ferè omnibus curua, & velut in globum contorta, nunquam vel mentum à genibus leuare, vel plantas pedum à femoribus remouere valebat, ante loculum ſanctorum cinerum deportata, ſingulorum officia membrorũ, cum integerrima ſanitate ſuſcepit; Sed quoniam breuis illa veſtis, qua contractum priùs corpuſculum facilè tegebatur, iam erectè ſtanti non ſufficiebat, quin ex parte nuda videretur: citiſſimè fideles quique (nam in Eccleſia coram Clero & populo res geſta eſt) raptis fœminarum facitergulis eam

conte-

contexêre, donec allatis ſibi congruis indumentis veſtiretur. Ibi ergo cum ſpiritali lætitia noctem illam tranſigentes, primo mane optatum iter arripuêre.

CAPVT XIIX.

Pariſijs dum res diuina peragitur, muta ab ortu fœmina, ſimulq; ſurda & energumena integrè ſanatur.

APPROPINQVANTES verò Pariſienſi ciuitati, quam fluentis Sequanæ cinctam, Iulius Cæſar condidiſſe, & ob ſimilitudinem inſulæ maris, Yſius nominatæ, Pariſius fertur appellaſſe: Simili modo ab Epiſcopo loci illius Ercanrado nomine, omnique populo, vltrà pontem ſtratum, ſuper memoratum fluuium occurrente, ſuſcepti, & in principalem eiuſdem vrbis eccleſiam deducti ſunt. *Etymologia noua Pariſiorum.*

Erat